

[p.595]

DE DAEMONIBVS, GENIIS, LARIBVS,
CAETERISQUE, AC DE PANE,
THEMIDE, ET LAMIIS, etc. AD
SOCINVM BENTIVM MEDICVM ET
PHILOSOPHV M, SYNTAGMA XV.

Disertissime mi Socine Benti,
Antistes sapientiae, et peritus
Artis Pergameae, simulque Coae:
Conscripsi tibi Daemonas Pelasgi
Quos dicunt, Genios uocant Latini,
Ipsos multiplici subinde uoce,
Et Manes, Lemuresque nuncupantes,
Et Faunos, Inuos, Lares, Penates,
Et quae nomina colligo hoc libello.
Quae si non fuerint bene explicata,
Tu, qui me Stygio additum tyranno
Sustentas medica frequenter arte,
Ignoscas rogo, deinque me tuere.
Sic sint prospera cuncta, liberique
Maiores referant, auum, patremque.

LILIVS GREGORIVS GYRALDV S

Socino Bentio, Medico et Philosopho, S. P.
D.

Cum permulta me Socine Benti alias semper deterruerunt, quo minus uobis magnis Philosophis mea scripta legenda mitterem: tum illud, quod uos uideam aliud dicendi genus amplecti, quam ii faciant qui mansuetiores Musas consecretantur. Nihil enim uos, nisi quod ratio ipsa et natura suis legibus praescripserit, complectimini: nostrum uero totum scribendi genus in uerisimili persuasionem consistit, et ueterum ac probatorum auctoritatibus innitur, plerumque hoc uel illud pro re et tempore probantes, Academicorum more, ut lector quam uelit cunqu e partem, sententiamque apprehendere possit. Quare cum superioribus diebus meum hoc institutum secutus, de Daemonibus, caeterisque eiusmodi a gentibus deis habitis Syntagma confecissem, uisum est mihi hanc omnem partem legendam tibi mittere, ut cum tibi de his, in tuis subtilioribus lucubrationibus agendum contigerit, uno intuitu collecta posses conspiciere, et decerpta melius ac enucleatius tractata conscribere. Accipe igitur mi Socine, hoc nostrum, quaecunqu e est: ut uel hac saltem ratione [p.596] et exiguo hoc munere intelligas, quod prae me feram grati animi significationem, ob tot, tantaque in me ac meos collata beneficia, utcunqu e seruatam.

Accipe inquam, ea lege, ut legas, et legendo ita castiges, ut mea tua esse uideantur. Vale.

DAEMONES, ET CAETERI.

Daemonis uocabulum apud ueteres late desumptum esse uidemus. nam et pro deis ipsis supremis, et pro coelestibus atque aereis persaepe obseruauimus. Nos primum de nomine agemus: deinde appellationes, ut institutum est nostrum, exponemus. Mittam nunc illa philosophis et theologis, qui sint, non sint, disputant. Nos Christianam pietatem sectantes, nihil dubitamus. Daemones igitur uocabulum putat in Cratylo Plato, ex Hesiodi sententia, quasi δαίμονας dici, hoc est prudentes ac scientes, iuxta antiquum Graecorum sermonem: quo fit (ait Socrates) ut Hesiodus, caeterique poetae permulti praeclare loquantur, quicunqu e aiunt, quod postquam bonus aliquis uita functus est, maximam dignitatem praemiumque sortitur, fitque Daemon secundum sapientiae cognomentum. ita et ipse assero, Daemona, id est sapientem, omnem esse hominem quicunqu e sit bonus: eumque Daemonicum esse, id est, sapientem et felicem, uiuentem atque defunctum, recteque Daemonem nuncupari. haec ferme Socrates, seu potius Plato. Possidonius in libro de Heroibus et daemonibus, quia ex aetherea substantia partita atque diuisa qualitas illis est, ἀπὸ τοῦ δαίειν, hoc est urere, seu ἀπὸ τοῦ δεομένου, hoc est, μερίζομένου, id est diuiso et partito, eos denominatos tradit. quod et Macrobius repetit in Saturnaliis. Eusebius nec Platonis, nec Possidonii sententiam suscipit, et Daemonas ait dici παρὰ τὸ δαιμαίνω, quod exterreo et pauefacio significat. Pluribus tamen exemplis Steuchus Eugubinas, amicus meus, astruere nititur, hoc uocabulum in linguam graecam ex hebraea migrasse, a Shadaim: prioreque ablata syllaba, Daimones fieri. De daemonum uero natura nihil ego statuo: sed nec loquar quidem, nisi quae pia decernit religio, et patrum sententia, quae malos omnes daemones statuit: nec mihi hoc loco dicendum, quae cum alii prodiderunt, tum Proclus in Cratylo, et alibi de formarum et figurarum uarietate deorum et daemonum, quae hominibus saepissime uisae dicuntur. nam et nostri, [p.597] spectra et simulachra aerea esse docent. Plato in Philosopho, seu Epinomide, cum de supremis deis locutus esset, ita subiungit: Deinceps uero sub his

daemones, genus aereum, in tertia mediaque regione, qui interpretationis causa sunt, collocatos fatendum, orationibus colere gratia laudabilis intercessionis interpretationisque debemus, et reliqua. Idem in Symposio, daemones inter deos et homines reponit. In Cratylo, ut dictum est, ex Hesiodi sententia homines in deos relatos statuit, et daemones uocat. Ita enim canit Hesiodus,

ἀέρα θ' ἑσάμενοι παντῆ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν. hoc est,

Aeraque induti tot a tellure uagantur.

Varie tamen in Timaeo statuere uidetur: et Apuleius nonnihil interdum a Platone euariare uidetur, ut post docebimus: Hierocles item in aureo commentario, aurei Pythagorae carminis, angelos enim, et heroes, et genios statuit, mox deorum filios Heroas appellat. at uero Orpheus in hymnis, daemona inter caetera uocat ipsum Ζῆνα μέγαν πολύπλαγκτον: id est, Iouem magnum multistrepum. In poemate uero ad Museum, daemones ita distinxit, in daemones coelestes, aereos, aqueos, terrestres, infernos, id est subterraneos et circuitores, seu uagos. Hoc est, Δαίμονας οὐρανίους, καὶ ἡερίους, καὶ ἐνύδρους, καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους, ἰδὲ πυριφοίτους, uel ut alii legunt, περιφοίτους. Sed et Chalcidius in Platonis Timaeum, Daemones ait cum aetherios esse, tum aeries, tum terrestres: et caetera ferme quae Platonici reliqui. Alii daemones ita distinguere maluerunt, in fabulosos, poeticos, et naturales: alii in angelos bonos et malos, ut Numenius et Proclus, Porphyriusque: sanius hi quidem, sed uiderint tamen, ne in uanas gentium superstitiones prolabantur. Philon autem hebraeus in libro de Mundo, ab his diuersa sentit: qua in re et illum nonnihil errare nostris quibusdam uisum est. libet hoc loco Isidori uerba ex VIII. Etymologiarum ascribere: Daemones, inquit, a graecis dictos aiunt, quasi δαίμονας, id est peritos, ac rerum praescios. praesciunt enim futurorum multa: unde et solent responsa aliqua dare. Illis quidem inest rerum cognitio plusquam infirmitatis est humanae, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimae uitae, partim per dei iussum angelica reuelatione. Hi corporum aeriorum natura uigent. ante transgressionem quidem coelestia corpora gerebant: lapsi uero, in aeriam qualitatem conuersi sunt: nec aeris illius puriora spacia, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis

quasi carcer est usque ad tempus iudicii. Hi sunt praeuaricatores angeli, quorum diabolus princeps est: et caetera, quae idem Isidorus exequitur. Sedenim commune est graecis et latinis uocabulum Angelorum, qui Malachim ab Hebraeis dicuntur. Existimauit [p.598] Philon eosdem angelos Hebraeis esse, qui gentium philosophis sunt daemones. At nos plura mittamus, qui deos gentium referre et ridere tantummodo uolumus, ne et nos fortassis in absonam aliquam gentilitatis opinionem incauti decidamus: a qua re maxime abhorremus, id tantum animo fixum ratumque habentes, quod Dei optimi maximi et seruatoris nostri religione permissum est, et placitum: nec secus quicquam, unquam, ut a principio professi sumus: etiam si quid ignoratione et imprudentia lingua peccaret, nec id animo sentire, nec eloqui certum decretumque habemus. Daemones igitur a latinis Genii uocantur, de quibus hic agendum.

GENIUS.

Genius, ut D. Augustinus libro septimo ex Varronis sententia ait, deus est, qui praepositus esse, ac uim habere omnium rerum gignendarum credebatur: quo modo uidetur Cebes Thebanus philosophus in tabula suum posuisse senem daemona, id est Genium, in primi circuitus porta. sed et alio modo Genius dicitur, deus naturae cuiusque. Plutarchus Genium esse scribit, qui unicuique mortalium insit. Vide ipsius Problemata. Censorinus, Genium deum ait, cuius in tutela, ut quisque natus uiuit: siue etiam, quod ut generamur curat: siue, quod una gignitur nobiscum: siue etiam, quod nos genitos suscipiat ac tueatur. Certe a gignendo Genius appellatur. Festus, Genium esse scribit, qui uim obtinet rerum omnium gerendarum. Aufustius ait: Genius est deorum filius, et parens hominum, ex quo homines gignuntur: propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alii Genium esse putauerunt uniuscuiusque loci deum. Seruius ita tradit, Genium numen esse, quod nobis nascentibus datur. Vergilius,

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putem.

de serpente loquens. Hinc Persius:

Pinge duos angues.

Serpentis etenim imagine Genius interdum effingebatur, interdum puerili uel iuuenili forma: interdum etiam senis, ut apud

Cebetem. Coronabatur uero platani foliis, utpote arboris genialis. Albius Tibullus poeta ita suis uersibus exornat:

Ipsae suos adsit Genius uisurus honores,
Cui decorent sanctas florea sarta comas.
Illius e puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

In uetustis nonnullis monetis Traiani, et Adriani, aliorumque principum, Genius pateram [p.599] dextra supra aram porricere, quae ara esset sertis ornata: laeua uero manu propendulum flagellum, uel simile quiddam tenere uidebatur. Sedenim et in aliis Adriani inscriptionibus, talem epigraphen comperi: GEN.P.R. hoc est, Genio populi Romani. ubi imago cernebatur hominis militaris, cum ueste ad cruris medium circumuoluta: dextera pateram in morem sacrificantis habebat, laeua cornucopiae. sed pro Principis arbitrio. Vnde et nos antiquariis, et harum rerum studiosis, nomismata mittamus. Genio res sacra fiebat mero ac floribus. Persius,

Funde merum Genio.

Horatius in Epistolis,

Floribus et uino Genium memorem breuis horae. Genius in Aulularia Plauti ita inquit: Huic filia una est, ea mihi quotidie thure, aut uino, aut aliquo semper supplicat. Quid uero causae fuerit, ut merum Genio funderetur, nec hostia faciendum antiqui putarent, Varro causam explicat in eo libro cui titulus est Articulus, siue de numeris: et Censorinus. Id moris, inquit, institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annuale Genio soluerent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die qua ipsi lucem acceperant, aliis demerent. Denique Delii Apollinis Γενήτορος aram, ut Timaeus auctor est, et Cloacius, nemo hostiam caedit. haec illi. Addit et Censorinus, quod Genio facto neminem oportebat ante gustare, quam eum qui fecisset. Horatius tamen ad Aelium Lamiam libro tertio Carminum ita canit,

Cras Genium mero Curabis et porco bimestri.

quo loco uictima adhibetur. Quidam praeterea Genium omnium gignendarum rerum deum existimarunt. Genius, ait Censorinus, ita nobis assiduus obseruator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos, ad extremum uitae diem comitetur. Arrianus de Epicteto: Vt custodem, ait, adhibuit unicuique proprium daemona, et tradidit ei

custodiendum, custodem peruigilem et incorruptum, etc. Marcellinus libro historiarum XXI. Quod interdum affuisse sibi squallidus existimabatur, et putabatur Genius esse quidam, tutelae salutis appositus, eum reliquisse mundo citius digressum. Ferunt enim theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, eiusmodi quaedam uelut actus rectora numina sociari, admodum tamen paucissimis uisa, quos multiplices auxere uirtutes: et caetera, quae durus quidem scriptor, sed doctus tamen, exequitur. Alii demum Genios elementa dixerunt: alii duodecim signa coelestia, cum Sole et Luna. Quidam tres illos deos Capitolinos, Iouem, Iunonem, Mineruam putauere. Sed haec sunt a curiosis perquisita: nos ad [p.600] reliqua descendamus. Euclides Socraticus philosophus, duplicem omnibus Genium attributum putauit. Empedocles quoque et Menander, duos similiter Genios, protinus ut in lucem quis editus est, dari putarunt. Menandri hi sunt senarii,

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ,

ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Idem apud Lucillum in libro Satyrarum nono licere cognosci, ait Censorinus: bonum hunc, malum illum (ut reor) existimans. Malum deum suum iratum uocat Terentius: bonum deum propitium suum Naeuius uocauit, quo uidelicet modo nostri bonum et malum angelum et custodem appellare consueuere. Graeci ἀγαθὸν θεὸν, et ἀγαθὸν δαίμονα, malum uero Ἄλᾶστορα, Παλαμναῖον, et Κακοδαίμονα. Hinc Valerius Maximus libro primo de Cassio Parmensi, qui existimauit ad se uenire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squallida barba, et capillo demisso: interrogatumque quisnam esset, respondisse, Κακοδαίμονα. Ita et Plutarchus de Bruto, in eius uita, cum ei similiter apparuisset, Tuus sum (inquit) Brute Genius malus, id est δαίμων κακός. meminit et Appianus, et Florus. Plutarchus in eo qui περὶ εὐθυμίας, id est de animi tranquillitate inscribitur. Idem de duobus Geniis affirmat. Scribit Censorinus, a nonnullis binos Genios in his duntaxat domibus, quae maritae essent, colendos creditum esse. Seruius grammaticus super ea Vergilii uerba, Quisque suos patimur manes: Cum (inquit) nascimur, duos Genios sortimur: unus est qui hortatur ad bona, alter qui deprauat ad mala. nec incongrue dicuntur Genii, quia cum unusquisque genitus fuerit, ei

statim obseruatores deputantur: quibus assistentibus post mortem, aut asserimur in meliorem uitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut uocationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo Vergilius Manes, Genios dixit, quos cum uita sortimur. Alii Iunonem et Genium singulis dederunt, quod pluribus ex diuersis auctoribus ostendit Politianus. Sed et caetera de Geniis prosequamur. Martianus libro secundo de nuptiis Mercurii et Philologiae ita scribit: Sed quoniam, inquit, unicuique superiorum deorum singuli quique deseruiunt, et illorum arbitrio istorumque comitatur (id est coelitem et secundorum deorum) et generalis omnium praesul, et specialis singulis mortalibus Genius admouetur, quem etiam praestitem, quod praesit gerundis omnibus, uocauerunt. nam et populi Genio, cum generalis poscitur, supplicat: et unusquisque gubernatori proprio dependit obsequium. Ideoque Genius dicitur, quoniam cum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. hic tutelator, fidissimusque germanus, animos omnium mentesque custodit. et quoniam cogitationum arcana sapere annunciat potestati, etiam Angelus poterit [p.601] nuncupari. hos omnes graeci Daemonas dicunt, ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι. Latini Medioximos uocitarunt, qui quidem omnes minus lucidae splendidaeque naturae, quam illi coelestes, sunt: nec tamen ita sunt corpulenti, ut hominum capiantur obtutu. haec ferme Martianus. Hinc et Tertullianus, ut puto, et deum, et hos spiritus, corporeos aliquo modo existimauit. Sed nos praeterea sequamur. Apuleius in libro de Deo Socratis, Daemonibus hanc definitionem attribuit, quem etiam secutus est D. Augustinus: Daemones sunt, inquit, genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiuia, corpore aerea, tempore aeterna. quam descriptionem cum planius explicasset, monstrassetque hominis animam adhuc in corpore positam daemona nuncupari, ideoque etiam dici εὐδαίμονας eos qui beati forent, et quibus bonus contigisset Genius: tum de Geniis quaedam locutus subiungit, eos abiuratis corporibus suis Lemures, Laruas, Laresque uocari, ut etiam in deis Manibus dicturi sumus. Idem Apuleius praeterea in libro de dogmate Platonis: Daemones, inquit, quos Genios et Lares possumus nuncupare, ministros deorum arbitrantur, custodesque hominum et interpretes, si quid a deis uelint. Sed de

custodibus paulo supra actum est. Alii nonnulli extitere, qui Genios animas quorumcunque rationales interpretati sunt: quo modo et per Genium alicuius iurare intelligunt, quod maximum fuit apud ueteres iuramentum, per principis Genium iurare, ut plane Iurisconsulti et Tertullianus ostendunt. Suetonius Tranquillus in Caligula ait, multos a Caligula supplicio affectos, qui per eius Genium peierauerant. Lactantius Firmianus libro II. Diuinarum institutionum de daemonibus agens: Geniorum, inquit, sibi nomen assumunt, sic enim latino sermone daemones interpretantur. Hos utique Hermes Trismegistus ἀγγέλους πονηροῦς, hoc est angelos malignos uocauit. Aliquando tamen etiam simplici uoce dicuntur πονηροί: ut CHRISTVS Dominus ad patrem in prece quotidiana appellat. Sunt etiam in genere angelorum, quos δυνάμεις, hoc est uirtutes, uel potestates, Magi et sapientes Chaldaeorum appellant: inter quos, ut M. Psellus tradit, κοσμογχοὶ repositi sunt, quasi tu dicas mundum agentes. Sunt item qui ἀμείλικτοι, hoc est qui mulceri non permittunt animas illecebris et affectibus. Porro Genius Genio alius alii praestare creditus est, uirtute, sapientia, uiribus. unde est illud apud Plutarchum, de Octauio Augusti et M. Antonio Geniis, quorum alterius, id est, M. Antonii reformidabat alterum, hoc est, Octauii Augusti. Sed nec humiliora omittamus. Genius Natalis Deus nuncupari uidetur a Tibullo poeta. nam cum de Genio loqueretur, ita Elegiam ad Cherinthum claudit,

At tu Natalis quoniam deus omnia sentis,
[p.602]

Annue, quid refert clamue palamue roget.

Demum a Genio Genialis dies uocatur, quoniam in die natali laetitiae et hilaritati operam in primis dabant antiqui, et Genio indulgebant. unde et cum naturae obsequimur, indulgere Genio: et e contrario, defraudare Genium dicere consueuimus. ut illud, Genialis agatur iste dies: quod scilicet, ut Laberius mimographus dicit, Genius generis deus sit, uentri qui pareat. Ad haec, quoniam naturae deus existimabatur Genius, Genialis lectus maritalis est appellatus, in quo opera detur generandis liberis. Sextus Pompeius: Genialis, inquit, lectus qui nuptiis sternitur, in honore Genii. Catullus in Epithalamio Pelei et Thetidis:

Puluinar uero diuae Geniale locatur
Aedibus in mediis.

Solemus quoque dicere non modo homines
natos bono uel malo Genio, sed et urbes, et
res caeteras: quin etiam libros. et propter id
Valerius Martialis non inconcinne cecinit,

Victurus Genium debet habere liber.

Quare iam sastis de Geniis. deinceps
Penates, et Lares, caeteramque turbam
eiusmodi deorum interpretemur.

PENATES.

PENATES dei qui dicebantur a Latinis, quo
nomine a Graecis appellarentur, non satis
constat. Dionysius Alicarnasseus in primo
historiarum a diuersis eos scribit diuersis
nominibus in graecam linguam conuersos esse.
Alii, inquit, patrios appellant, id est πατρώους;
alii γενεθλίους. Fuere qui ἐτησίους, quique
μειλιχίους. quidam et ἐρκείους, alii et
ἐφεστίους; et horum unusquisque secundum
quod aliquid eos contingeret, uidetur nomen
dedisse. Sedenim Cassius Hemina,
Samothracas deos eosdem existimauit, qui et
Penates, et Magni dei: quod et Macrobius
refert. Sed de Samothracibus idem qui supra
Dionysius Alicarnasseus plura in eodem primo
historiarum ex Callistrato uetusto scriptore,
itemque ex Satyro, et Arctino poeta prodidit,
et nos in Cabiris nonnihilo. Varro humanarum
libro secundo, Dardanum refert deos Penates
ex Samothrace in Phrygiam, et Aeneam ex
Phrygia in Italiam detulisse. Alii Tarquinius
Demarathi Corinthii filium, Samothracis
religionibus mystice imbutum, uno templo, ac
sub eodem Samothracas deos coniunxisse
uolunt. Scribit Varro de Lingua latina quod
terra et coelum, ut Samothracum initia docent,
sunt dei magni: et hi quos dixi, multis
nominibus. nam neque quas Samothracia ante
[p.603] portas statuit, duas uiriles species
aeneas, dei Magni: neque ut uulgo putat, hi
Samothraces dei, qui Castor et Pollux. Sic hi
mas et foemina, et hi quos augurum libri
scriptos habent, sic diuipotes sunt pro illo, qui
Samothraces θεοὶ δυνάτοι, haec duo Coelum
et Terra, quod anima et corpus, humidum et
frigidum. haec uero de Samothracibus. Redeo
ad Penates. Idem Varro, ut est apud
Arnobium: Penates, ait, qui introrsus atque in
intimis penetralibus coeli deos esse censet,
quos loquimur, nec eorum numerum nec
nomina sciri. Hos Consententes et Complices

Hetrusci aiunt, et nominant: quod una
orientur, et una occidunt, sex mares, et totidem
foeminas, nominibus ignotis, et miserationis
parcissimae, sed eos summi Iouis consiliarios
ac principes existimari. Nec defuerunt qui
scriberent, Iouem, Iunonem, ac Mineruam,
deos Penates existere, sine quibus uiuere ac
sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant,
ratione, calore ac spiritu. Hyginus patrios deos
Penates, id est, θεοὺς πατρώους uocari
tradidit: atque ideo a Vergilio dictum,

Dei patri seruate domum.

Item,

Patriique Penates.

Nigidius libro decimonono de Deis requirit,
num dei Penates essent Troianorum, Apollo et
Neptunus, qui muros ei urbi fecisse dicuntur:
et num eos in Italiam Aeneas adduxerit. idem
et Cornelius Labeo in libro de Deis penatibus
prodidit. Sunt tamen qui diuersos faciunt. Sed
et θεοὺς μεγάλους, id est magnos deos apud
Vergilium, Penates deos Macrobius
interpretatur: alii alia, quae ab eodem
Macrobio traduntur. Idem tamen Nigidius
rursus, ut refert Arnobius in tertio aduersus
Gentes, in libro sexto exponit, et decimo,
disciplinas Hetruscas sequens, genera esse
Penatium quatuor, et esse Iouis ex his alios,
alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium
hominum quartos dixit. Caesius et ipse
assequens, Fortunam arbitratur, et Cererem,
Genium Iouialem, ac Palem: sed non illam
foeminam, quam uulgaritas accipit, sed
masculini nescio quem generis ministrum
Iouis, ac uillicum. De figura uero eorum et
forma, Timaeus quidem historicus scribit, eos
litos ferreos et aereos, et Troianum uas
quoddam fictile fuisse, eaque in occultis et
reconditis Lauini iacuisse sacra. Audiuisse uero
se dicit ab incolis. hinc Varro de lingua Latina:
Oppidum quod primum conditum in Latio,
stirpis Romanae Lauinium: nam ibi dei Penates
nostri. Subdit Dionysius, immo Lapis in eius
interpretatione (ea enim uerba adeo mihi
confusa uidentur, ut per defectum graeci
codicis coactus sim ea interpolata hic afferre.)
ait igitur, in templo obscuro et humili, quod
erat non procul a foro Romano, duas duorum
Troianorum imagines se uidisse, duorum
iuuenum [p.604] sedentium, habentiumque
pila in manibus, uetera eius artis opera, quibus
esset inscriptio, D. PENATES. Similesque
uetustis in templis plerisque conspici iuuenes
militari habitu, cultuque. addo ego, etiam in

nomismatibus quibusdam antiquis adhuc huiusmodi conspici. Porro Macrobius, aedem deorum Penatium in ea parte Palatini montis fuisse ait, quae Boream spectans, Velia dicebatur. Liuius item in V. Decade scribit: Aedes deorum Penatium in Velia de coelo tacta est. Penates autem dicti sunt, ut M. Cicero dicit, a penu, siue ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales dicebantur. hinc et Festus ait, Penetralia esse Penatium deorum sacraria. Vergilius,

Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Hinc et dei Penetrales dicti. Catullus:

Pubes graeca Penetrales deseruisse deos.

Macrobius Penates sic uocatos arbitratus est, quod per eos penitus spiremus, per quos et corpus habeamus, et per quos rationem animi possideamus. Seruius grammaticus in eos Vegilii uersus,

Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,

Ingens ara fuit, etc. Penates ait omnes deos esse, qui domi coluntur, unde et pro domibus ipsis saepe ponuntur. Sane legimus et publicorum et priuatorum penatium mentionem a scriptoribus habitam, ut a Liuius in tertio: quin et coeli, terrae, urbium et aedium penates dictos annotauimus. Penatis etiam singulari numero Labeo Antistius dici putauit, quia pluraliter Penates dicantur: cum et proportio etiam patiatur Penas dici, ut Optimas, Primas, Antias. Sed haec nihil, uel parum, ad institutum: ut hoc ad curiositatem pertinet, Hirundinum genus deis penatibus et Veneri, quae ipsa quoque e numero Penatium putabatur, charum existimatum esse ab antiquis, ut est apud Aelianum.

LARES.

Lares sunt dei domestici: unde et Lares pro aedibus ipsis, ut etiam Penates dicti. hinc et Lar familiaris, qui ab antiquis, teste Plauto, in canis figura efformabatur. Plutarchus in Problematis, Cur, inquit, Laribus, quos proprie Praestites uocant, canis assistit, ipsi autem Lares canum uestibus uestiuntur. idem et Macrobius scribit. Causam exponit Plutarchus. Atque ideo ualde considerandum puto, quid tandem sibi Cornutus seu Probus grammaticus in Persii Satyris uoluerit, cum scribit: Succinctis Laribus, inquit, quia Gabino habitu cynomia, id est canina pelle dei [p.605] Penates formabantur, obuoluti toga supra humerum sinistrum, et sub dextro. Larium mater Mania putata est, ut Varro et Macrobius scribunt.

Ouidius in Fastis, Lares Mercurii et Larae nymphae, quae et Muta dicta est, filios ait: Lactantius et Ausonius, Larundae. De Lara uero, siue Larunda, haec fabula narratur, quod nymphae haec Tiberiona fuerit, cui ab Ioue lingua sit abscissa, quod Iuturnae cum Ioue coitum Iunoni indicasset. hanc Mercurio iussit, ut ad inferos deferret. inter eundem, forma puellae illectus Mercurius, rem cum ea habuit: unde nati sunt gemini Lares. Scribit Arnobius, Lares uicorum atque itinerum deos esse, ex eo quod Graeci uicos cognominant Lauras. Nigidius, modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos qui occultasse perhibentur Iouis aeribus aliquando uagium, indigetes Samothracios, ut est apud Arnobium. Varro nunc Manes ait, unde et eorum mater Mania: nunc aerios ait deos, et heroas: nunc laruas Lares dicit, quasi quosdam genios defunctorum. quin et quod Lares uicos et compita seruarent, in quorum honorem ludi compitalicii celebrabantur. Pilae, ait Festus, effigies uiriles et muliebres ex lana, Compitalibus suspendebantur in compitis: et hunc diem festum esse deorum inferorum, quos uocant Lares, putarunt: quibus tot pilae, quot capita seruorum: tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut uiuis parcerent, et essent iis pilis et simulachris contenti. haec Festus. Macrobius uero primo Saturnaliorum planius de his agit, de compitalibus agens: Restituti ludi, inquit, a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniae, ex responso Apollinis: quo praeceptum est, ut capitibus pro capitibus supplicaretur. idque aliquandiu obseruatum pro familiarum sospitate, ut pueri mactarentur Maniae deae, matri Larium, quod sacrificii genus Iunius Brutus Cos. pulso Tarquinio aliter constituit celebrandum. nam capitibus alii et papaueris supplicari iussit, ut responso Apollinis satisfaceret de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustae sacrificiationis. factumque est, ut effigies Maniae suspensae pro singulorum foribus, periculum si quando immineret familiis, expiant: ludosque ex uiis compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellauerunt. Hactenus Macrobius. Fuit Larium aedes Romae uia sacra, teste Solino. quidam et in campo Martio ab Aemilio Rugillo praetore dicatam alteram statuunt. P. uero Victor uicum etiam Romae Larium fuisse ruralium prodit. Sed et Lares familiares fuerunt, ut ex Plauti Aulularia palam fit, qui et domestici dicebantur. Inuenio et hostiles Lares

appellatos, quod ab his hostes arcerentur, ut Alexander ait. Solebant uero pueri, cum bullas deponerent, Laribus eas suspendere. unde est illud Persii,

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Meminit et Porphyrius, [p.606] et Cornutus seu Probus, grammatici. Propertius libro quarto:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo,

Matris et ante deos libera sumpta toga.

Inde uero Lares domi coli coeptos ait Seruius, quod apud antiquos mortui domi sepeliebantur, quos ut deos domesticos uenerabantur, ut in Sepulchralibus ostendimus. Fuerunt et Lares praestites nuncupati, Ouidio et Plutarcho testibus: licet in latino codice Plutarchi perperam Praesides pro Praestites legatur. nam in Graeco recte habet. Lares etiam coronari solitos legimus. Plinius. Et iam tunc coronae deorum honos erant, et Larium publicorum priuatorumque, et sepulchrorum, et manium. Quin Plautus in Aulularia Larem familiarem loquentem facit, thure, uino, coronis sibi quotidie sacrificari. Ouidius etiam in Fastis,

Lucifero subeunte lares delubra tulerunt.

Hic ubi sit clara multa corona manu.

Iuuenalis in XII,

Laribusque paternis

Thura dabo, atque omnes uiolae iactabo colores.

Afferebantur et illis frugum primitiae, quod Horatius aliique poetae significant, sed ante alios Tibullus istis carminibus in primo, cum his inquit,

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri

Custodes, fertis munera uestra Lares:

tum illis maxime,

Sed patrii seruare Lares, aluistis et iidem,

Cursarem uestros cum tener ante pedes.

Neu pudeat prisco uos esse e stipite factos:

Sic ueteres sedes incoluistis aui.

Tunc melius tenere fidem, cum paupere cultu,

Stabat in exigua ligneus aede deus.

His placatus erat, seu quis libauerat uam,

Seu dederat sanctae spicea sarta comae.

Atque aliquis uoti compos liba ipsa ferebat,

Postque comes purum filia parua fauam.

At nobis aerata Lares depellite tela,

Hostiaque e plena mystica porcus hara.

Hunc pura cum ueste sequar, myrtoque canistra

Vincta geram, myrto uinctus et ipse caput.

Haec Tibullus. Propertius libro quarto,

Parua saginati lustrabant compita porci.

Nam Compitalia in Larium honorem instituta et celebrata esse, etiam alibi dicitur. Fuerunt et Lares nuncupati Permarini, quorum est mentio apud Titum [p.607] Liuium X. libro IIII. Decadis quibus Laribus aedem uouerat L. Aemilius Regillus, in bello contra Antiochum regem, praelio nauali, quae XL. post annis dicata fuerit. Qui uero essent Lares Permarini, a doctis ambigi uideo, nec de his certi quippiam comperi. tantum ariolor, quod ut in domibus publicis priuatisque ac compitis Lares antiqui, ita etiam nauibus suos Lares attribuissent, unde sint Permarini Lares. Sedenim et a Laribus Lararia uocata sunt, aediculae, ubi Lares et dei priuatim colerentur, quorum mentio ab Helio Lampridio in Alexandro. Lararium tamen non uidetur satis antiquum: in aedium enim descriptione a Victruuio non reponitur. Scribit Lampridius, Alexandrum Mammaeae Seuerum in Larario suo habuisse CHRISTVM et Abramum, Orpheum et Apollonium. Fuere inter literatos, qui Lararia haec existimarint saluatoria cubacula appellari a Plinio. atque duo habuisse ueteres Lararia, in quorum altero deos immortales, deis immortalibus progenitos: in altero diuos, qui ex hominibus in deorum numerum relati fuissent, uenerarentur: quos utrosque deos, pro ut ferebat occasio, et salutabant, et floribus thureque et caetero thymiamate, et interdum quoque uictimis, aliisque rebus sibi suisque propitios faciebant. Sunt demum qui scribant, huiusmodi deos Lares apud Aegyptios quatuor fuisse, quorum haec nomina, Dymon, Tychis, Heros, et Anachis. Existimo haec nomina corrupte legi, pro Dynamis, Tyche, Eros, Anance: id est, Vis, Fortuna, Amor, Necessitas. Porro a Laribus laruae dicuntur, ut nonnulli uolunt, noxiae inferorum umbrae. Plautus in Amphitruo, Nam haec quidem aedepol laruarum plena sunt. Et alibi, Laruae senem agitant. unde laruatus, furens. Sed et larua persona est, ut notissimum est. Sed de laruis plenius agendum in deis Manibus.

Sed iam omnem hanc daemonum scenam patefaciamus, eosque e latebris suis eruamus, atque e terra in primis: hoc est, quos dicunt

graeci χθονίους, ἐπιχθονίους, ὑποχθονίους, et καταχθονίους; nostri uero tum terrestres, tum subterraneos, et inferos. Epichthonios tamen Hesiodus coelestes intellexisse uidetur, id est ὑπουρανίους, si Proclo interpreti standum: quanquam uarius est alibi. hos et Animales deos, et mortales uocatos aliquando uidemus. De animalibus deis Aristoteles in primis scripsisse traditur, ut Seruius grammaticus obserauit. Labeo et ipse libros scripsit de deis Animalibus, in quibus ait esse quaedam sacra, quibus animae humanae uertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animalibus fiant. Hi autem sunt dei Penates et Vitales. sic quidem Labeo. Sed Chthonios deos Artemidorus in libris Onirocriticon memorat, eorumque diuisionem et nomina ostendit. Quin et Hippocrates medicinae princeps, in suis quibusdam opusculis Chthoniis et Hypochthoniis deis uota et sacra ad expiationem facienda praecipit. [p.608] Auctores item qui de re rustica scripserunt, ut magicos et superstitiosos caeteros mittam. Prolixior enim sim, si omnes hic complecti uelim: cum nonnulla tamen sparsim hoc ipso libro dicenda sint, cum se obtulerint. Tales uero fuere Satyri, Satyrisci, Panes, Panisci, Syluani, Sileni, Fatui, Fatuelli, Fatuae, Fatuella. Connumerantur et inter hos Ephialtae, et Hyphialtae: id est Incubi, et Sucxubi. Ephialtae, qui et Epialtae: publica hos persuasio, ut Macrobius ait, opiniatur quiescentes inuadere, et pondere suo pressos ac sentientes grauare. Medici uero morbum esse aiunt, qui quiescentes inuadit. Ephialtes autem dictus ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι, quod homines inuadat et premat. Alii ab Ephialte quodam dictum uolunt, de quo Homerus libro Odysseae undecimo. Themison uero in secundo Epistolarum πνιγαλιῶνα et πνίγμωνα dicit, ἀπὸ τοῦ πνίγειν, id est a suffocando. Fit autem hic morbus, cum redundans caput infestat euaporatio, ex uoracitate et cruditate. plura leges apud Caelium Aurelianum Siccensem, qui latine Incubonem uocari ait. Idem et Scribonius. Sed nos caetera sequamur. Fuit item Pales, fuit et Faula, quam Verrius scortum Herculis fuisse scribit, ut est apud Lactantium, et Augustinum, in VI. de ciuitate Dei, et Macrobius in Saturnaliis. Hanc Plutarchus Phabolam, seu Flauiam nuncupat, ut in nostro Hercule scripsimus. Sedenim hos deos, deasque, sic colligit Martianus in Nuptiis: Panes, Fauni, Fines, Satyri, Syluani, Nymphae,

Fatui, Fatuaeque, uel Fantuae, uel etiam Fanae, a quibus fana dicta, quod soleant diuinare. Hi et hae omnes post prolixum tempus moriebantur, ut homines: sed tamen ut praesciendi et incursandi et nocendi haberent praesentissimam potestatem. unde sunt qui eiusmodi terriculamentis agerentur, a graecis νυμφόληπτοι, et a Latinis lymphati nuncupati. hinc et Panici terrores, de quibus paulo post, hoc est in Pane agemus.

Satyri dicti sunt, ut Macrobius docet, ueluti Sathuni, quod sint in libidinem proni, παρὰ τὴν σάθην, quod membrum uirile declarat. hos petulcos in libidinem fuisse, etiam D. Hieronymus in Pauli Thebaei uita testatur, et Eusebius in III. Praeparationis euangelicae eos omnem ueneream uirtutem ostendere ait. Satyros, ait Phurnutus, symbolum esse ἐκστάσεως, id est mentis excessus. dictos uero ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, id est quod ora aperiant. hos et Scirtos, id est Σκιρτούς, ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, hoc est a saliendo nominauit. idem et Σκευίδας, ἀπὸ τοῦ σκεύειν, quod est furere et saeuire, appellauit: unde et saeuus apud nos deduci potest. Mela Pomponius, et Plinius in V. Naturalis historiae hos animalia esse dixerunt quadrupedia, in subsolanis Indorum montibus, perniciosissima, humana effigie. Solinus in simiarum genere reponit. A Satyris, poematis genus uarium et maledicum, [p.609] et petulans denominatum est, archaeae Comediae caractere compositum. Olim haec ex uariis poematibus constabat: quo genere apud latinos scripserunt, Pacuuius, Ennius, et Varro Menippeas. Nonnunquam interposita soluta oratione, ut sunt fragmenta quae extant Petronii Arbitri. Lucilius uero uersu hexametro aliud genus induxit, et eum secuti Horatius, Persius et Iuuenalis, et Turnus, et nostro tempore Philelphus: et uernacula Musa Ludovicus noster Ariostus, et Hercules Bentiuolus, alii. Satyra non a Satyris, sed a satyra lance, quae referta uariis multisque primitiis, deis inferebatur: cuius lancis Vergilius meminerit. siue dicta a quodam genere farciminis, ut ait Varro, et Diomedes. alii a lege Satyra, cuius legis Lucilius meminit.

Per satyram aedilem factum qui legibus soluat.

Sed haec non huius instituti sunt. Plura Diomedes et Festus grammatici, et demum per satyram Erasmus, et ipse in VI. de Poetarum historia dialogo tradidi. De Pane et eius cognominibus, seorsum agam.

Fauni, a fando dicti. Fauni, inquit Varro, dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sint in his uersibus, quos uocant Saturnios. in syluestribus locis traditum est solitos fari, quo fando Faunos dictos. Hinc illud,

Versus quos olim Fauni uatesque canebant.
uel Fauni, a Fauno Pici filio dicti: de quo Vergilius in septimo,

Hunc Fauno, et nympha genitum Laurente Marica, Accepimus.

quo loco haec propemodum Seruius: Quidam deus est Fatuellus, huius uxor est Fatua: iidem sunt Faunus et Fauna. dicti autem sunt a uaticinando, id est fando. unde et Fatuos dicimus, inconsiderate loquentes. Ergo poeta Faunae et Fatuae nomen quasi asperum fugit, et Maricam dixit. Idem tamen Seruius paulopost, ἀπὸ τῆς φωνῆς dictum Faunum scribit, quod uoce, non signis futura ostenderet. Extat carmen Horatii libro III. Carminum, ad Faunum:

Faune Nympharum fugientum amator, etc.

ubi inter caetera Porphyrius ait, Faunum existimatum inferum ac pestilentem deum fuisse. De Fauno uero Lactantius ita scribit in primo: Sic, inquit, ante Pompilium Faunus in Latio, qui et Saturno auo nefaria sacra constituit, et Picum patrem inter deos honorauit, et sororem suam Faunam, eandemque coniugem sacrauit: quam C. Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consueuisset, ut Faunus uiris. Eandem Varro putauit Bonam deam, ut alio loco ostendi. Scribit Isidorus Hispalensis praesul: Fatuos, id est mente captos, origine quidam dici putant a miratoribus Fatuae Fauni uxoris fatidicae: eosque primum Fatuos appellatos, quod praeter modum obstupefacti, uaticinium illius ad amentiam usque admirarentur. [p.610] Sane Romae in insula Tiberina Fauni aedes fuit, cuius Ouidius meminit in Fastis:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,

Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

Idem et Victruius tradit. Probus Faunum tradit aedificia lucosque numinibus consecrasse, et ab eo Fana dicta. Liuius auctor est, Cn. Domitium Aenobarbum, et C. Scribonium aediles, ex mulctatitia pecunia in insula aedem Fauno fecisse. Libet his nostris addere, quae Pomponius Laetus scribit: Faunus, inquit, antiquissimus omnium regum in Latio fuit, qui Aboriginibus imperauit, homines more ferarum uiuentes in mitiorem

uitam redegit, lucos sacrauit, locis et urbibus nomina dedit, aedificia erexit, templa aedificauit: quae ideo a Fauno fana dicuntur, quod pontifices sacrificando illic fantur. Faunus in Latio cultus deorum instituisse fertur. Quidam scribunt, ante Faunum Ianum imperasse, et cultum deorum demonstrasse. Fauni soror Fatua, uaticinatrix: ab ea uates, fatuarii dicuntur. Haec traditur mulierum castissima, ideo eam Romani Bonam deam appellauere: cuius templum fuit in saxo Auentini montis, unde ingressus maribus prohibebatur, et ei feminae tantum sacrificabant. Et hactenus Pomponius Laetus.

Syluanus: Syluani a syluis ubi uersabantur denominati sunt, et Monticolae et Syluestres cognominati. Syluanus deus, qui Cyparissum puerum amasse perhibetur. Puer hic Cyparissus mansuetissimam ceruam habebat, quam cum Syluanus ignarus occidisset, puer est dolore extinctus, quem deus amator in cupressum arborem eius nominis uertit, et eam pro solatio portasse dicitur. Vnde poeta in Georgicis,

Et teneram ab radice ferens Syluane cupressum.

Et Gratius in libro Cynegeticon,

Et inculto Syluanus termitae gaudens.

Hanc ita fabulam Seruius in Georgicis. In Aeneida uero super hos uersus,

Syluano fama est ueteres sacrasse Pelasgos,
Aruorum pecorisque deo, lucumque,
diemque,

sic scribit: Publica caeremoniarum opinio hoc habet, pecorum et agrorum deum esse Syluanum: prudentiores tamen dicunt, esse ὕλικὸν θεὸν, hoc est deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum, id est, ignis sordidior et aer, item aqua et terra sordidior, unde cuncta procreantur: quam graeci ὕλην, latini materiam appellarunt. unde Syluani nomen factum est. Est apud Aelianum de historia animalium, Crathin Sybaritam concubuisse cum capra, et [p.611] inde natum puerum, qui caprina haberet crura, et humanam faciem, qui fuerit in deorum numerum relatus, et Syluanus deus appellatus. Fabulam Aelianus pluribus est executus. Visum est ex re ascribere, quae ex Varrone desumpsit D. Augustinus libro sexto de Ciuitate Dei: Mulieri, inquit, foetae post partum tres deos custodes Varro commemorat adhiberi, ne Syluanus deus per noctem ingrediatur, et uexet. Eorumque custodum

significandorum causa tres homines nocte circumire limina domus: et primo limen ferire securi, postea pilo, tertio deuerrere scopis, ut his datis culturae signis, deus Syluanus prohibeatur intrare: quia neque arbores caeduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coaceruantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonem, a securis intercisione: Pilunum, a pilo: Deuerram, a scopis. quibus deis custodibus, contra uim dei Syluani foeta conseruatur. Haec D. Augustinus. qui et in XV. de horum daemonum lasciuia sic propemodum scribit: Et quoniam, inquit, creberrima fama est, multique se esse expertos, uel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Syluanos et Inuos, quos uulgo Incubos uocant, improbos saepe extitisse mulieribus, et earum appetisse et peregisse concubitum: et quosdam daemones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immundiciam et tentare et efficere, plures, talesque asseuerant, ut hoc negare impudentiae uideatur. Haec quidem Aurelius Augustinus, quae ab Isidoro in VIII. sunt repetita. Caeterum ne plura ego eiusmodi inculcem, unius Pici libros lege uel de Rerum praenotione, uel de Strigibus, in quibus plurima exempla collegit. Porro Fauni, Satyri et Panes cognominati sunt semicapri et capripedes, a forma, de qua pluribus in Pane agam. Vocati etiam sunt a fistula Cicuticines. Gestare etiam dicebantur ferulas, unde Narthecophori et Feruliferi dicti. Quin et liliis coronabantur, item ex harundine et ferula, ut Lutatius notat. Eisdem ex Acheruntia populo et marathro sarta gestasse legimus. Nec illud te fugiat, prouectioris aetatis Satyros, Pausania teste, Silenos nuncupatos fuisse: dictos, ut Phurnutius ait, ἀπὸ τοῦ σιλάνειν, id est ab irridendo, et oculis praecipue. Eusebius III. Praeparationis euangelicae, Silenum ait spiritalis motus symbolum fuisse, qui non parum uniuerso conducit, cuius caput propter caniciem candore fulgens coelestis motus: caesaries uero, quae inferioribus imaginis partibus apponitur, crassitudinem terrestris aeris significat. Et paulo post irridens subiungit: Cur si motus spiritalis Silenus est, et motiuam uirtutem significat, tum coelestem candorem capitis, tum aeriam [p.612] et crassiorem prolixitate ac densitate barbae, et caetera. Illud te hoc loco latere nolim, quod est

a Tertulliano nec semel proditum, et inprimis aduersus Hermogenem, ubi sic ait: Nisi si Heleno illi apud Midam regem adseueranti, de alio orbe credendum est, auctore Theopompo. Idem in libro de Pallio: Vt, inquit, Silenus penes aures Midae, aptas sane grandioribus fabulis, et caetera. Sed et Maximus Tyrius in sermone XXX. ita ait, Silenum ebrium laqueis et uinculis constrictum, Midae praedixisse uaria et diuersa. unde facile uidere possumus, poetam Vergilium argumentum suae Eclogae Sileni desumpsisse. Plutarchus in consolatione Apollonii: Ferunt, inquit, Silenum iam captum post uenationem, percontanti, quidnam esset hominibus optimum, quidque omnium maxime optabile? Primum quidem nihil uoluisset dicere, sed silentium tenuisse. mox ita locutum: Nasci hominibus non omnium omnino optimum, nec optima est particeps naturae. optimum est enim omnibus, non nasci. sed post hoc est scilicet, genitos quam celerrime interire: quod et Plutarchus refert, et Aristotelem ait in Eudemo tradidisse, ipsius etiam uerba apponens. Sed mehercule Plinius in septimi libri Naturalis historiae praefatione, paucioribus hanc ipsam sententiam explicat. Multi, inquit, extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocysse aboleri. id quod et Lactantius Firmianus testatur. Sed de hoc iam satis. Reliqua de Silenis, et aliis quae proposui, subiungam. Mirabile illud in Pariorum lapidicinis proditum est, gleba lapidis unius cuneis diuidentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse, ut Plinius scribit. Sileni a Catullo Nysigeni cognominati sunt, cum ait,

Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis.

Custos et famulus Bacchi ab Horatio dicitur, in Poetica:

An custos famulusque dei Silenus alumni.

Silenus Alcibiadis prouerbium fuit, de quo habes in Prouerbiis.

Σαυᾶσαι, et Σαῦδοι Sileni a Macedonibus appellabantur, ut Amerias apud Hesychium et Phaurinum testatur. Sunt et qui πάρεδροι, id est assistentes daemones dicti, qualis qui Socrati assistebat, de quo Plutarchus et Apuleius peculiari libro scripserunt, aliique. Et item qualis Simoni Samaritae mago, ut Eusebius notat. Ophioneum uero daemonem Pherecydes prodidit, principem eorum fuisse, qui de coelo lapsi sunt: quod et Platonius Ficinus repetit in commentario Apologiae Platonis pro Socrate. Sunt et Onosceli, qui dicuntur, asininis cruribus, unde et illis nomen:

qui et sese mares exhibere, interdumque et leonis, uel canis, uel alterius animalis specie apparere feruntur. Hos eruditi quidam daemones aiunt, in aquosa et arida, corporibus arescentibus frequentes [p.613] apparere. Porro Ὀνόχηλον, Onochelon illudentes gentes, Christum D.N. uocabant, et pingebant: uit Tertullianus, Suidas, alii tradunt. Sane et in hoc genere daemonum Isodaetes fuit, cuius Hyperides orator in Phrynii oratione meminit, et Arpocraton, et Suidas: sed et ab his Phauorinus. Erat autem hospitalis daemon Isodaetes, cui popularia sacra quaedam muliebria peragi solebant. Fuere et qui Κόβαλοι dicebantur, qui circa Dionysium esse credebantur, eodem Arpocraton teste, cum caeteris: Hesychio praeterea, et Philochoro. Quin et Aristoteles in libro de Animalibus, Otum hoc nomine, hoc est Κόβαλον nominauit.

Fuit et Chrysios daemon, quem quidam et Plutum nuncuparunt, et barbara Chaldaeorum uoce Mammona, ut in Pluto dicam. Eurynomus etiam daemonis nomen, de quo ex Delphicis interpretibus Pausanias scribit, ipsum infernum fuisse daemone, qui mortuorum carnes absumeret, sic ut ossa solummodo relinquerentur. Effingebatur uero horrida ac terrificata specie, exertis dentibus, in uulturii pelle sedens, colore inter caeruleum, nigrumque, qualis est musculorum color. Μορμόνας a Graecis uocari scribit Hesychius, errantes et uagantes daemones. Considerandum utique, an Mormolycias potius legendum sit. nam Philostratus in Apollonii Tyanei uita tradit, Empusas et Lamias Mormolycias etiam nuncupari. Sed enim et μορμούκιον uel μορμούκκον (utrunque enim legimus) pro larua et persona sumitur. Quin etiam μορμῶ, pro deformi et monstrosa muliere a Theocrito usurpatur: pro larua uero, apud Aristophanem grammatici interpretantur. In Zoroastris oraculis, seu Symbolis, illud notandum est, daemones uocari Terrestres canes, hoc est, κῦνες χθονίους, ut M. Psellus interpretatur: Ex terrae, inquit, gremiis prosiliunt κῦνες χθόνιοι, nunquam uerum corpus homini demonstrantes. Idem Zoroaster et θήρας χθονός, id est terrae feras appellauit. Et alibi manifeste Daemone Terraeum uocauit, ut cum dixit: Cum uideris uenientem δαίμονα πρόσγειον, sacrificia lapidem Μνούζιριν incantans. quibus in locis ipse mihi Psellus pleraque uidetur non a superstitione

aliena afferre. Est uero apud Persas Mnuzirin Lapis, ut idem Psellus significat, uim habens euocandi maiorem daemona alterum.

Soradii apud Indos daemones crediti fuere, qui οἰνοποιοὶ graece dici possunt, a nostris uini fictores. Lybantes nomen daemonis, urbem Temesen infestantis: qui ab Euthymo uictus, niger et lupina pelle amictus apparuit, ut scribit Pausanias. Sed uereor ne nimius sim, si hic plures colligere uelim, cum toto hoc opere, ut res feret, de his daemonibus agendum sit. Id tantum in praesentia non praetermittam, [p.614] quod idem M. Psellus in peculiari de Daemonibus libro, ex sententia magi cuiusdam Marci, sex eorum esse genera prodidit: quorum primum uocatum ait barbara uoce Leliureon, in sublimiori parte aeris agentem: alterum, in proxima eiusdem aeris parte nobis propinqua: tertium, terreum genus esse: quartum, aqueum et marinum, quod in aquis maxime uersetur: quintum, subterraneum, quod in uisceribus terrae degat: sextum, tenebrosum, quod omnino lucem refugit. Scribit praeterea de his alia multa, quae hoc loco referre non precium sit magnum operae. Quare porro sit in uniuersum hoc omne daemonum genus, docet in primis Eusebius de Praeparatione euangelica et Aurelius Augustinus, cum in Dei ciuitate, tum in eo maxime qui est de Potestate daemonum.

Lamiae quoque in hoc daemonum genere censentur, quas et Mormolycias et Empusas aliquando dictas iam docui, et Striges a nostris. Lamiae sint, necne, a me ne petas: tantum lecta recitabo, fides sit (ut ait Plinius) penes scriptores. Duris Libycorum libro secundo, et Suidas et Phauorinus, Lamiam mulierem formosam fuisse tradunt, Beli et Libyes filiam, quam Iupiter adamauit, et ex ea filium suscepit: sed Iuno prae zelotypia filium perdidit: et Lamia prae moerore deformata, alienos infantes rapere ac perdere dicitur. plura Phauorinus, et Aristophanis interpretes meminit, et Alciatus in Parergis libro octauo. Dion quoque, qui Libycam scripsit historiam, de Lamiis in hunc prope modum prodidit: Haud longe a littore maris curuum esse locum, arenosum, mari persimilem, in quo littora magna existunt, et arenosi aggeres in mari, circumuicina uero omnia deserta fere manent. At si ibi forte naufragi eiecti fuerint, ferae apparentes eos omnes qui uel peragrant, uel aberrant, rapiunt: quarum natura et corporis figura talis habetur. Facies est mulieris, et

formosae quidem, ubera et pectora longe pulcherrima, quae neque melius pictor possit effingere: color splendissimus, gratia quaedam et uenustas ab oculis, et mansuetudo in animum incidit, quoties aliquis eam spectarit. reliqua pars corporis dura, et infrangibilis, ob squammas confertas. inferiora sunt serpentis, ut ima pars in caput desinat serpentis, et quidem ualde horrentis. hae ferae alas non habent, quemadmodum Sphinges. neque enim loquuntur, ut ille: neque aliam uocem emittunt, sed solum sibila acutissima, quemadmodum dracones. Terrestrialium omnium hae uelocissimae, ut nullum possit eas animal effugere. Caetera quidem animalia uiribus expugnant homines, hae solum fraude ac deceptione. pectora aperiunt, et ubera ostentant: eum uero qui aspexerit, ueneficiis quibusdam cogunt ad confabulationis desiderium. et hi quidem ueluti ad mulieres accedunt, [p.615] illae intrepidae manent, deorsum in humum saepe respicientes, ornatum ac pudorem mulieris imitantes. atque ita eum qui propius accesserit, rapiunt: namque manus sunt ferarum, quas aliquantisper occultant: caeterum serpens mordens ueneno interficit, cadauer ipsum comedunt serpens, et quod reliquum est ferae. atque hactenus Dion ferme de Lamiis feris. quibus uidemus eos et falli, et fallere, qui equinos Lamiis pedes attribuunt. Has et propheta Hieremias uidetur agnoscere, cum ait: Sed et Lamiae nudauerat mammas, etc. quanquam locus hic ab Hebraeis aliter effertur. D. Hieronymus quaedam ibi subinnuit. Porro et Esaias Lamiae cubile dixit. Hebraeorum nonnulli Lamias, furias interpretantur. Scribit Picus, quosdam daemones incubos esse interpretatos, existimasseque superiores partes habere humana specie, inferiores belluinas. Lamias inepte a laniando dictas putauit Isidorus. Hebraei Lamiam Lilith uocant, de qua monstra confingunt. Lamiae praeterea piscis genus, cuius Nicander in Glossis meminit, qui etiam Carcharia appelletur. piscis huius, Aristoteles, Plinius et Athenaeus meminere. Audio et hodie uocari a Massiliensibus Lamiam, et ingentis interdum magnitudinis inueniri, integrosque homines ab ea uoratos aliquando repertos. Sed haec non nostri instituti sunt. Caeterum Philostratus et ipse multa in Apollonii uita de Lamia prodidit, quae Menapum formosum iuuenem amare se simulabat, et quo modo larua ea esse in

conuiuio ab Apollonio sit deprehensa. Lamias praeterea puerorum esse terriculamenta, uel ex Apuleio satis constat. Sunt qui Striges putent, quae infantium in cunis sanguinem sugunt. quin et Horatius in Poetica ideo dixit,

Neu pransae Lamiae uiuum puerum extrahat aluo.

De Lamiis et Plato meminit in Politicis. Lamia etiam proprium nomen: ut Lamia Sibyllae mater, quod in secundo de Historia poetarum ostendimus. de qua praeterea Plutarchus in eo, Quod oracula defecerunt, ita scribit: Postquam, inquit, sedimus in petra, quae in foro est, in qua fertur prima Sibylla sedisse, ab Helicone descendens, quae a Musis fuerat educata. Quidam uero tradunt, illam ad Meleona uenisse, filiam Lamiae, Neptuni filiae. Et haec quidem Plutarchus: qui alibi Lamiam quoque mulierem scribit amatam a Demetrio rege, ciuitatis perniciem a Comicis poetis dictam. eam et Athenaeus commemorat in Diphnosophiston. Fuere et ciuitates aliquot Lamiae nomine, de quibus praeter caeteros Stephanus in libro de Urbibus, unde et Lamiacus sinus. Fuit et Romae Lamiarum nobilis familia, a M. Cicerone et Horatio in primis celebrata: sed quae nihil ad Lamias istas faciat. Postremo et in historiis legimus, a Probo [p.616] Caesare multas Lamias in spectaculo inductas ac exhibitas fuisse. Hactenus de Lamiis.

THEMIS.

Themis dea, quae Latine fas dici potest, Coeli filia fuit. hinc ab Orpheo Οὐρανόπαις cognominata est. Hanc graeci fabulantur, Iouis nuptias fugientem, in Macedonia ab eo apud Ichnas, ut mox dicam, compressam fuisse. eandem alteram Iouis coniugem, ait Hesiodus in Theogonia. Ex hac natae sunt in primis Iustitia, Lex, et Pax: hoc est Δίκη, Εὐνομία, καὶ Εἰρήνη, id quod etiam Pindarus in Olympiis in eo hymno qui Xenophonti Corinthio stadii cursori inscribitur. Themis deam, teste Festo, antiqui putabant eam esse, quae hominibus praeciperet id petere, quod fas esset: illamque id esse existimabant, quod fas sit. nam θέμις apud Graecos fas significat. Ammiani certe uerba leguntur libro XXI. cognitione digna, quae ideo hic ascripti: Elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum, praesententi motu semper et ubique uigens ex his quae per disciplinas uarias affectamus, participat nobiscum munera diuinandi: et substantiales

potestates ritu diuerso placatae, uelut ex perpetuis fontium uenis uaticina mortalitati suppeditant uerba, quibus numen praeesse dicitur Themidis. quam ex eo quod fixa fatali lege decreta praescire fas sit in posterum, quae tethimena sermo graecus appellat: ita cognominatam, in cubili, solioque Iouis uigoris uiuifici, Theologi ueteres collocarunt. Themis hoc modo describitur a Phurnuto, dea, quae efficit ut pacta et conuentiones inter nos fiant, et seruentur. hoc concinnius graece dicitur, Θέμις δὲ, ἡ τῶν συντίθεσθαι τι μεταξὺ ἡμῶν, καὶ φυλάττεται. Alii uero, Themis dicunt deorum esse: iustitiam, hoc est Δίκη, hominum. qua de re plura Phauorinus. nam Δίκη iudicat homines: Themis uero qua dei iudicant, et ipsa hominum fora soluit. Quidam et Themidis simulachrum his afferri consueuisse, qui antiquitus concionabantur, apud quod sederent, et uerba facerent: id innuentes, iusta atque aequa ea esse debere, quae dicerentur ab iis qui publice ius dicerent. Certe et Aristides in oratione pro concordia, Rhodiensibus conciones, inquit, senatumque deorum antiquissima Themis cogit, etc. Deam hanc templum habuisse, innuit in Metamorphoseis Ouidius, in Boeotia iuxta Cephisum, inibique et oraculum habuisse, ad quod Deucalion et Pyrrha post diluuium pro reparatione humani generis citatum adiuere. Orpheus in eius hymno, eam hominibus primum oracula edidisse ait apud Delphos, et Pytho regnasse. Themis igitur ante Apollinem in Delphis oracula reddidit. Quin illud obseruatum est, Neptunum ac Terram ante etiam responsa dedisse: et per se quidem Terram, Neptunum uero Pyrronem habuisse, qui subseruiebat: [p.617] tum post hos Themidi datum oraculum, demum Apollini. Euripides in fabula Iphigeniae in Tauris, chorum inducit laudantem Apollinem his uerbis propemodum: Apollo, inquit, Themis terrae filiam repulit a sacratis oraculis, nocturna ipsa Tellus edebat oracula, quae plerisque mortalibus et priora et futura, et quaecunque euentura erant, somni per obscura terrae cubitus dicebant, et caetera. Hanc uero deam peculiari hymno celebrat Orpheus, cum thuris suffimento. Homerus autem in Apollinis hymno, Themidem ait Apollini nectar et ambrosiam propinasse. Qui in Pindarum scholia scripserunt, inter multa quae in Pythiis tradunt, et hoc aiunt: Pana oracula dedisse Arcadibus: mox in id oraculum uenisse, in quo

primum Nox oracula dabat, dein Themis. et demum regnante Pythone, Dionysius primus in tripode responsa reddidit: mox Pythone occiso, Apollo dedit Pythius, et uocatum Pythium oraculum, et Pythia uates, et Pythicum certamen, ut in Apolline pluribus ostendi. De Themide crebra mentio apud auctores, Pindarum, Strabonem, Hyginum, et Arati expositorem. Catullus,

Huc, inquit, addunt diui quam plurima, quae Themis olim

Antiquis solita est munera ferre piis.

Ab hac et nymphas quasdam legimus denominatas, Themistiadas. Sane eruditorum quidam Themides duas statuerunt, uetustiore quidem alteram, alteram uero Euandri matrem, quae et Nicostrata et Carmentis dicta est, de qua Eusebius in III. Praeparationis euangelicae, Themis, inquit, quae latine Carmenta uocata est, uaticinandi uirtus, eo quod statuta unicuique praecinatur. priorem Themis αἰδείην uocat Hesiodus in Theogonia, id est pudore dignam, uel pudibundam, in illo.

καὶ Θέμιν αἰδείην, ἑλικωβλέφαρον τ' Ἀφροδίτην. hoc est,

Et pudibunda Themis, curuciliisque Aphrodite.

Carmentis, quae et Carmenta, et Nicostrata, et Themis dicta fuit, et in primis a Romanis culta, et Euandri mater credita. de hac Dionysius Alicarnasseus in primo historiarum ait, Euandro et Carmenti quotannis sacra facta fuisse, Carmenti quidem sub Capitolio ad Carmentalem portam, Euandro uero in Auentino, a porta Trigemina non procul. Romani ad haec Carmentis uel sorores, uel comites, Porrimam et Postuertam, ut deas coluerunt, et illis rem diuinam faciebant, ut Ouidius in primis ostendit in Fastis. Sed Gellius libro et capite XVI. sic scribit: Difficilis partus auertendi gratia aras statutas fuisse Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera, a recti peruersique partus et potestate et nomine. Ex quibus considerandum, an rectius Prosa, an Porrima legatur. Nec minus etiam illud notandum, Carmentas numero plurium efferri, ut modo [p.618] dicebam ex Gellio. Augustinus quoque in quarto de Ciuitate dei libro, Ac sit alius, inquit, sed ipse scilicet Iupiter in deabus illis, quae fata nascentibus canunt, et uocantur Carmentes. Plutarchus uero in Quaestionibus, de aede Carmentae, ubi et Carmentalia mense Ianuario celebrabantur.

Martianus uero: Alii, inquit, huius generis homines indiuinandi usum et praesentiam procreati, ut Carmentis in Arcadia. haec et ab oraculis Θεσπιῶδος graece dicta, teste Dionysio, latine Carmentis. hinc et Ouidius in Fastis,

Ipsa mone, quae nomen habes de carmine ductum.

Εὔβουλος, hoc est consiliatrix, uel bene consulens, Themis a Pindaro cognominata est. Orpheus uero ad Musaeum, sacram inspectricem hominum, id est Hieroscopon nuncupauit: hoc est, Θέμιν τ' ἱερόσκοπον ἀνδρῶν. Idem et ad Naturam canens hymnum, eodem uocauit nomine.

Ἰχναία Θέμις cognominata est, teste Strabone, ab Ichnis graeca urbe, non longe a Phyllo, ubi et Phyllaeus Apollo appellatus. Stephanus urbem ait Macedoniae Ichnae, quae ab Eratosthene Ἰχναί uocetur. Philetas aliam dicit, quae per a scribitur. Themis autem cum ab Ioue persequeretur, deprehensa fuit in locis, ubi impressa fuerant eius pedum uestigia. unde locus ab insequendo κατ' ἰχνας, id est per uestigia dictus, quod Themis ipsa Ichnaea. Huius nominis Ichnaeae meminit et Lycophron in Alexandra, et illius interpretes Isaacius.

Themistys, uel Themistis dea uidetur poni a M. Tullio in ea oratione, quae est in L. Pisonem, pro dea iustitiae: quo loco Pisonem irridet Cicero, qui Cn. Cottam, L. Pisonem, Crassum, triumphum auidos uituperabat. et reprehendere solitus erat: Tu tantis, inquit, nationibus subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, praemia periculorum, uirtutis insignia contemnere debuisti: neque uero contempsisti, licet Themiste sapientior, etc. Quidam hoc loco libentius Themite, uel Themide legunt. Themitos enim aliquando apud graecos, pro Themidos scriptum legimus. In commentariis a Phaurino collectis, obseruamus iuxta Doricos, Themis Themidos dici, et Themitos, unde est θέμιτον, et ἀθέμιτον, id est fas et nefas, adiecto σ. Θέμιστος, a quo formatur proprium nomen Themistius, et ἀθεμιστία, iniustitia, apud Homerum in Odyssea. At uero Strabo libro septimo, ubi de Tomaris agit, ita ferme scribit: Apud Homerum, ait, melius esse τομάρους, quam Themistas scribendum. nullo enim modo a poeta dici Themistas oracula, sed consilia et decreta ciuilia, et legum sanctiones: hoc est, ut graece ait, πολυτεύματα καὶ

νομοθετήματα. Et paulo post subdit: Simplicius apud Homerum capere oportet Themistas abusiue consilia, et ipsa diuinationis imperia et consultationes, ipsaque uaticinia, quemadmodum et decreta, quod ita graece rectius: Ὀμήρῳ δ' ἀπλούστερον δεῖ δέχεσθαι Θέμιστας καταχρηστικῶς, [p.619] καὶ βουλὰς, τὰ προστάγματα, καὶ τὰ βουλήματα τὰ μαντικά, καθάπερ καὶ τὰ νόμιμα. Alii apud M. Ciceronem Themista legendum putant, pro Themis. nam Themis, aiunt, Themis facit, et Themista, in casu quarto, a quo rectus formatur Themista Themistae, et ius ac iustitiam significare contendunt, eandemque consiliorum oraculorumque praesidem esse: et propterea Homerum θεμιστεύειν dicere, quod uaticinari et oracula dare significat: pro eo quod est leges ferre, et iura reddere, quod et Budaeus obseruauit.

PAN.

Pan Deus pastoralis, Inuus a Latinis dictus, teste Liuius et Macrobio. Hunc deum Arcades colebant, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum dominum, sed uniuersae substantiae materialis dominatorem significantes, ut ait Macrobius: cuius materiae uis uniuersorum corporum, seu illa diuina, siue terrena sit, componit essentiam. Scribit Probus in commentariis Georgicon Vergili, in eo uersu, Pan ouium custos: Pana, inquit, Inuum latini interpretantur, cuius ex Arcadia religionem Italiae fertur intulisse Euander. Sed creditur, propter duo argumenta, sub eius nomine et uocabulo Iupiter coli, id est, mundus: quorum unum est, quod πᾶν graece significat omne, id est, uniuersam naturam: alterum, quod hinuli pellis qua tegitur uarietas maculis imitatur stellas. Pan, Phurnutus ait, ideo dictus, quod uniuersi Deus ipse putaretur. nam pars eius inferior hirsuta ac pilosa, hircinaque, quod terrae asperitati conuenit: superior uero pars hominis est, quod in aethere sit ἠγῆμονικὸν mundi, quod utique rationale est: et caetera, quae ille exponit. Versari etiam Pana tradidere in desertis, solitariisque locis, per id maxime eius solitudinem significabant. unus enim, et unigenitus mundus est. Quin etiam ἐπίσκοπον, id est speculatorem pecudum et armentorum dixere, eaque fortasse causa cornua etiam illi et fissas ungulas addidere. Et forte ob geminas auriculas, quidam et hunc Priapum putauerunt. Huius dei simulachrum caprina facie effingebant, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte

hispida, et caprino pede: altera manu fistulam tenebat, altera pedum incuruum. Pan quoque, Seruius inquit, etiam Faunus appellatus est. Vergilius in sexto: Castrum Inui. Inui, inquit, id est Panos, qui illic colebatur. Inuus autem latine, appellatur graece Πᾶν. Item Ἐφιάλης graece, latine Incubus. item Faunus, id est Fatuus, et Fatuellus. Dicitur uero ab ineundo passim cum omnibus animalibus. In Bucolicis tamen idem ita scribit: Pan deus rusticus, [p.620] in naturae similitudinem formatus: unde et Πᾶν dictus est, id est omne. habet enim cornua in radorum solis et lunae cornuum similitudinem. Rubet eius facies, ad aetheris imitationem, in pectore uero nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem. Pars eius inferior hispida est, propter arbores, uirgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut ostendat terrae soliditatem. Fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam coeli, in qua septem soni sunt, et septem discrimina uocum. Rhabdon habet, seu uirgam, id est pedum recuruum: hoc est, baculum, propter annum, qui in se recurrit, quia hic totius naturae deus est. A poetis fingitur, cum Amore deo luctatus, et ab eo uictus: quia, ut legimus, omnia uincit amor. Lasciuum etiam, et libidinosum hunc ipsum deum induxerunt, propter copiam spermaticarum rationum, et quae commixtione ipsarum fiunt. Hinc et ipsum nymphas insequi dicunt. Sed et formosos pueros, ut est apud Theocritum. Describitur quoque his uersibus a poeta Silio libro Punicorum decimotertio,

Pan Ioue missus erat, seuari tecta uolente
Troia: pendenti similis Pan semper, et uno
Vix ulla inscribens terrae uestigia cornu.
Dextera lasciuuit caesa Tegeatide capra,
Verbera lenta mouens festa per compita
cauda,

Cingit acuta comas, et opacat tempora pinus.
Ac parua erumpunt rubicunda cornua
fronte.

Stant aures, summoque cadit barba hispida
mento.

Pastorale deo baculum, pellisque sinistrum
Velat grata latus, tenerae de corpore damae:
Nulla in praeruptum tam prona et inhospita
cautes,

In qua non librans corpus, similisque uolanti,
Cornipedem tulerit praecisa per auia
plantam.

Interdum inflexus medio nascentia tergo
Respicit, arridens hirtae ludibria caudae.

Obtendensque manum, solem inferuescere
fronti

Arcet, et umbrato perlustrat pascua uisu.

Hic postquam mandata Dei perfecta,
malamque

Sedauit rabiem, et permulsit corda furentum,
Arcadiae uolucris saltus, et amata reuisit

Maenala, ubi argutis longe de uertice sacro

Dulce sonat calamis, ducit stabula omnia
cantu. [p.621]

Hactenus consul et poeta Silius. Pan ergo, ut caetera expediam, secundum fabulas amasse Syringam nympham dicitur: quam cum sequeretur, illa, implorato Terrae auxilio, in calamum conuerta est: quem Pan ad solatium amoris incidit, et sibi fistulam fecit. Extat apud Theocritum Panos fistula, miro carminum artificio confecta: quae obscurissima cum sit, et aenigmati pene par, exposita est ab Io. Pediasimo Chartophylace, quam etiam in latinum conuertit non infeliciter amicus meus A. Thilesius. Sed et huius dei amor et deliciae Echo creditur, quae nullius oculis est obnoxia, quod significare ait Macrobius harmoniam coeli. quam et deam poetae dixere, de qua non solum ueteres graeci et latini plerique luserunt, sed nostri etiam temporis poetae. Vnum tantum Ausonii epigramma de Echus imagine, quod illius naturam exprimit, hoc loco asseram, quod est:

Vane quid affectas faciem mihi ponere
pictor,

Ignotamque oculis sollicitare deam?

Aeris et linguae sum filia, mater inanis

Indicii, uocem quae sine mente gero.

Extremos pereunte modos a fine reducens,

Ludificata sequor uerba aliena meis.

Auribus in uestris habito penetrabilis Echo:

At si uis similem pingere, pinge sonum.

De Echo et in Symbolis nonnihilo dictum est. Pinum quoque arborem Pani attribuit Constantinus in libro XI. Geoponicon, ubi et fabulam exequitur Pitys puellae, in hanc arborem mutatae: aliter licet Phurnutus tradat. Sedenim Eusebius quoque in III. Praeparationis euangelicae Pana uniuersi symbolum esse affirmari ait, cornua ei data propter solem et lunam: uariam pantherae pellem, propter uarietatem coelestium, quod et Phurnutus repetit. Quidam porro tradiderunt, Pana Iouis et Ἰβριεως, id est Contumeliae filium. alii Mercurii et Penelopes, alii Penelopes quidem, et omnium procorum, et inde illi nomen Pan: ut Duris Samius prodidit.

Epimenides uero, Iouis et Callistus Pana et Arcada filios geminos ait. Aristippus in Arcadico, uel quia forte mundus a uentis omnibus perflatur, uel forte etiam ob Emmelecam agrestem, et austeram, quae minus demonstrari possit.

Ἄγριος θεός Pan deus appellatus fuit, id est agrestis deus, propterea quod puerorum amator fuerit existimatus. eaque ratione illum pudendis arrectis effingebant, et cornutum, et a pudendis infra hircinumque. qua de re in secundo de Poetis, in Thamyridis [p.622] uita scripsimus. Idem et Ἄγρεὺς ab Atheniensibus uocatus, ut scribit Apollodorus apud Hesychium.

Βιαρκεύς, Biarceus Panos cognomen est, teste Suida, quasi uitae necessaria curans. Vtitur Archias in epigramma.

Ἐφιάλτης, Ephialtes, qui et Epialtes, id est incubus, dictus est Pan, teste Artemidoro in secundo Onirocriticon. licet Aegineta Paulus, et alii, pro morbo capiant, quo ingrauari nescio quo pacto uidemur semisomnes: qua de re plenius supra sum locutus.

Λυτήριος, Lyterius, Pan dictus fuit, cuius sacellum apud Troezenios celebre fuit. sic uero appellatus, quod per quietem Troezeniorum principibus famis, qua urgebantur, Pan liberationem solutionemque docuerit. auctor Pausanias in Corinthiacis.

Mendes nomen Panos apud Aegyptios, qui sub hirci effigie colebatur. lege Herodotum, Suidam et Diodorum. unde etiam populi Mendesii, et Panopolitani. Legimus et hunc deum unum ex VIII deis fuisse apud Aegyptios, qui XII priores fuerant apud Herodotum. Legimus et mulieres cum hircis coisse.

Lycaeus Pan cognominatus. Vergilius, Panos de more Lycae. In Lycaeo, inquit Placidus Caelius grammaticus, templum fuit Panos, in quo natus asseritur. Pausanias uero in Arcadicis in monte Lycaeo et templum et lucum, et hippodromum ac stadium fuisse eius numini dicatum, unde illi nomen. Iustinus uero ex Trogo libro XLIII. Lycaeam quidem ait dici Pana, a Romanis uero Lupercum. ita enim scribit: In Palatini radicibus templum Lycaeo, quem graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit, ipsum dei simulachrum nudum, caprina pelle amictum est: quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. Haec Iustinus.

Κεροβάτης, Cerobates cognominatus, teste Hesychio, siue quod cornua habebat, quasi κερατιβάτης, uel quod basin haberet corneam, id est pedes.

Arcadius deus Pan uocatus est.

Propertius,

Arcadio pinus amata deo, nam pinea corona utebatur.

Ouidius in Fastis,

Pan tibi, qui pinu tempora nexa geris. Thilesius tamen harundine, id est syringa, Pana coronari putauit. Vergilius,

Pan deus Arcadiae.

Ouidius,

Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.

nam ut supra dictum est, Pan etiam Faunus dictus est. Idem Ouidius,

Pana deum ueteres pecudis coluisse feruntur
Arcades, Arcadiis plurimus ille iugis.

Capripes Pan cognominatus a poetis, a graecis Αἰγομελής, et Αἰγίπαν, [p.623]et numero plurium Aegipanes. Propertius in tertio,

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Hyginus de Capricorno: Huius, inquit, effigies similis est Aegipani. Sed haec notiora, tantum innuisse sufficiat. Dicitur et semicaper deus, ab Ouidio in Fastis, et Metamorphoseis, ut est in illo,

Sunt oculis nymphae, semicaperue deus.

Maenalius etiam cognominatus, a monte Arcadiae notissimo, in quo, ut Pausanias scribit, auditus est saepe sibilans.

Tegeaeus quoque dictus, a Tegea Arcadiae. Vergilius,

Adsis o Tegeae fauens.

Propertius, Et calami Pan Tegeae tui.

Lampeus Pan in Arcadia uocatus, a Lampo monte, uel potius parte montis Erymanthi, ut Pausanias scribit, Pani dicato.

Ἄλεπλαγητὸν etiam cognominatum legimus, quasi dicas Saliuagum Pana, quod coleretur in promontoriis, quae mari alluuntur, quod notant grammatici.

Σινόεις, id est Sinois Pan nuncupatus, a Synoe nympa, a qua Pan educatus fuit, ut Pausanias docet in Arcadicis. Colebatur autem iuxta Megalopolin.

Scoletas Pan, a Scoleta Arcadiae colle denominatus, eodem auctore Pausania.

Nomius praeterea Pan seorsum ab Apolline cognominatus, a montibus Nomiis, de quibus idem Pausanias. In his montibus ad dextram Lycosurae Panis Nomii templum spectabatur,

locumque ipsum Melpaea a cantus suavitate fistulae uocabant.

Συρικτῆς porro Pan, id est fistulator nuncupatus, ut ex Phurnuto didicimus: etsi uulgari codices *συρτόν* habeant, id quod uiam fecit doctis quibusdam hallucinandi, ut locum Phurnuti male reponerent. A fistula igitur Syrictes cognominatus est. Iouis et Oeneidos nymphae filium idem facit. alii Vlyssis et Penelopes, alii Aetheris et Oeneidos, uel Nereidos. quidam Coeli et Terrae. Sed quod retulimus, eum natum ex Mercurio et Penelope, fabulae ferunt, Mercurium in hircum mutatum, et amatum fuisse a Penelope, quae cum eo concumbens Pana pepererit, et ipse Pan propterea hircipes fuit. Plato Pana sermonem interpretatur, ideoque Mercurii filius fingitur, quod et sermo biformis sit, uerus scilicet, et falsus. Mox et subdit: Pan Aepolus biformis, Mercurii filius dictus, in superioribus partibus laeuis ac delicatus, ex inferioribus asper et hircinus. Alii demum Pana uocatum tradunt, quod τῆς ὥρας, id est Horae sit signum, hoc est uniuersi, et ideo proprie Pan nuncupatus est. Sunt et alia quaedam de Pane in commentariis in Theocritum, praecipue in primo Edyllio, et item alia a Phurnuto in libro de Natura deorum. Adhaec Pindari interpretes in Pythiorum exordio, Pana tradunt oracula primum [p.624] dedisse Arcadibus. Idem et Pausanias prodit. Sed id ait factum ex sacello quopiam, in quod per gradus aliquot ascendebatur: nymphamque Erato ea oracula edere solitam, quae Erato non Musa fuerit, sed nympa, quae Arcados Callistus filii consuetudine uteretur. In Parthenio Arcadiae monte Panos templum fuit, in quo locus dictus Aula, quod uelut asylum animalibus fuit. eo enim adire non audebant nec leones, nec lupi, dum ea consecrarentur, sed protinus subsistebant, ipsaque animalia relinquebant: id quod et in Dianae Aetoliae luco factum fuisse fabulantur. Illud quoque de Pane Aegyptii sacerdotes et poetae quidam prodidere, ipsum deum se in flumen deiecisse, in piscem mutatum posteriore parte corporis, alter uero hirci: quo tempore dei quidam in Aegypto propter subitum aduentum Typhonis se in uarias figuras transformarunt, Mercurius in ibin: Apollo in auem threiciam, id est gruem: Diana in catum, id est felem. idem scribit Manilius, et Hyginus in Astronomico poetico: qui et hoc refert, Cum Iupiter (inquit) Titanas

oppugnaret, primum obiecissee hostibus timorem, qui Panicus appellatur, ut ait Eratosthenes. Panicus quidem terror a Pane deo dictus est, qui et numero plurium aliquando πανικὰ dicuntur, quorum et M. Cicero meminit in Epistolis cum familiaribus, tum ad Atticum. Nam cum Gigantes contra Iouem et deos pugnarent, hic terror eis obiectus est. ad quam rem alludit Orpheus in hymno Panos, quem illi deo cum uarium rerum suffimento concinuit, hoc uersu,

Πανικὸν ἐκπέμπων οἴστρον εἰς τέρματα γαίης, hoc est,

Terrarum in fines immittens panicon oestrum.

Panicos etiam terrores Phurnutus dici scribit, de repentinis, et sine ratione factis. Ita enim nonnunquam greges ac armenta pauere uidentur, cum sonitus aliquisue strepitus surgit in syluis, aut e speluncis, aut ex terrae cauernis. de his et Pausanias in Phocaicis. Hic terror, inquit, panicus Gallos inuasit, qui Breno duce Delphos praedaturi accesserant. Terrores quippe nulla certa causa existentes, a Pane oriri produntur. hinc et poeta Silius libro XIII. Punicorum, describit Hannibalem deterritum hoc Panos terrore, cum ad urbis moenia accessisset, eam expugnaturus: ut paulo ante allatis poetae carminibus ostendi. Plutarchus quoque in libro de Iside et Osiride: Post, inquit, Osiridem a Typhone caeterisque coniuratis occisum, Panes ac Satyri, qui Chemin inhabitabant, id senserunt, deque eo quod gestum fuerat, turbas et tumultus facere coeperunt. quare factum est, ut repentinis terrores, Panici deinceps appellarentur. ipsum lege Plutarchum. Porro et Politianus totum XXXVIII. Miscellaneorum caput [p.625] hac de re confecit. Sed et Theon in Arati commentariis ἤχον, id est sonitum hunc cochlea factum scribit. Plutarchus etiam in eo, Quod oracula defecerunt, prodit, de Panis interitu, qui Tiberii Caesaris tempore accidit: existimatumque fuisse ab eius temporis philosophis, eum Pana interiisse, qui ex Mercurio et Penelope natus esset. id quod et Eusebius de Praeparatione euangelicae repetit. Legimus porro Numam Pompilium, dum Inuo, id est Pani sacrificaret, fagineum ramum gestasse, intonsis crinibus obuolutum.

SYNTAGMATIS DECIMIQUINTI FINIS.